



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Apocalypseos Pars Secunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

APOCALYPSEOS

PARS SECUNDA.

DUO jussus erat S. Joannes: Apocalypseos cap. 10. in fine: primum, v. 9. *devorare Libellum*, & in ventre memoriae suae ruminare quae in eo scripta supererant; nimirum de Antichristo & de novissimis temporibus illi proximis. Alterum, v. 11; devorata eructare ac palam mundo *prophetare*: Et addita fuit particula, *iterum*; qua significabatur, in hac secunda parte Apocalypseos iterare oportere illa quae ex praecedentibus egent repetitione: tum de Antichristo ipso: tum quia perduraverint usque ad Antichristum, & ut constet in quo statu ille inventurus sit Ecclesiam: tum ut enucleatius inculcentur & distinctius praefigmentur. Quod cum alio fiat modo, & variatis quibusdam additisve circumstantiis, & per alia nova hieroglyphica praedoceantur bis eadem in tanti momenti mate-

Prophe-
tatur ite-
rum.

ria; suam affert copiosam utilitatem, eamque triplicem. Primò, valet ad majorem confirmationem & persuasivonem rei. solenne est enim S. Scripturae in rebus magnis & arcanis eandem rem praefigurari aut prophetari per plura & diversa emblemata. Exempli causa, in Visione gemina quae oblata est Pharaoni septem boum, & septem spicarum, Gen. 41. quam cum edisseruisset Joseph Patriarcha, subjungit v. 32. *quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eò quod fiat sermo DEI & velocius impleatur.*

Utilitas
prophe-
tiae itera-
tae:

Secundò, quoniam in eadem re occurrunt plures proprietates vel adjuncta observanda; ita ut una similitudo seu imago proposita non exhauriat totam rei veritatem; valet plurimum, ad expressius atque explicatius repraesentandum, plures afferri hujuscemodi comparationes.

A 3 quod

quod maximè locum habet in Apocalypsi in qua eadem proponuntur cum additis aliis circumstantiis.

Hujus præfer-
tim.

Tertiò, id quod proprium est Apocalypsi: ut ea, quæ dudum & in genere prædixerat, applicet novissimis temporibus, quasi novam prophetiam de omnium ultimis & gravissimis periculis.

Supereft (quod proæmii loco dixerim navo Lectori) ut nos etiam excitemur ad iterum iterumque versanda & revol-
venda quæ sequuntur: quamvis cognitu grata devoranti,
at amara ruminanti ac digerenti. Locum habeat in hac præcipuè relectione Apocalypseos id quod in genere monuit auditores suos S. Augustinus in psal. 141. *admonemus charitatem vestram, ut ea quæ audiendo, tanquam ventre, memoriã conditis, rursus revolvendo & cogitando quodammodo ruminetis.* Etenim ex mente S. Scripturæ, quam citavit, breviter dictum esse: *Sapiens ruminat, stultus non ruminat. neque enim propter aliud in Lege munda ea dicta sunt animalia quæ ruminant, immunda quæ non ruminant.*

Vidit hoc S. Augustinus lib. 20. de Civ. cap. 17. cum enim dixisset, esse multa in Apocalypsi quæ mentem legentis exercent, addit: *Maximè, quia sic EADEM multis modis REPETIT, ut alia atque alia dicere videatur, cum ALITER atque aliter HÆC IPSA dicere vestigetur.*

Series